

I. N. J.

DISPUTATIO PHILOLOGICA,  
DE

DIGNITATE  
SACERDOTALI  
in V. T.

Permittente Ampl. FAC. PHILOS. Aboens.  
et

PRÆSIDENTE

Viro Admodum Reverendo & Amplissimo.

Dn. Mag. ISAACO

WILHELMO

L. L. Sac. PROFESS: Celeberrimo, & Past.  
Eccles. Finn. Cath. Gravissimo,

Quam

*Pro consequendis in Philosophia Honoribus,*

Horis locoque consvetis ad d. 5. Decembr, Anni 1703.

*Examini modeste subijcit*

LAURENTIUS SACKLINIUS,

V. D. M.

---

Exc. Jo. WAL.



pecimen hoc publicum edi-  
turus, ingenuè fateor me  
& debuisse & voluisse plu-  
ribus ea persequi, quæ ad  
descriptionem DIGNITA-  
TIS SACERDOTALIS

adtingent; verum cum tempus mihi haud sit  
æquum, pauca hæc, quæ superficialia quasi ope-  
ra apud Philologos observare licuit, brevibus  
exponere lineis cogor. Tu vero Benevole  
Lector, cum scias quotidianis me occupatio-  
nibus districtum, accuratum quid, ac de-  
licatè eruditum, non posse vulgare, facilitè his  
contentus mihi favere perge.

Hic locupletius in Bibliotheca  
Hic locupletius in Bibliotheca  
Hic locupletius in Bibliotheca

Examine meo

EXAMINE MEO

V. D. M.

Exc. Jo. Wap.



# THE S I S

## I.



venamodum ad id tempus, quo DEUS animos Israelitarum vidit magis ad idololatriam, & ad imitandos mores gentium, pronos, cum cuivis tum vero Patribus familiarum & qui plebiscito ad id munus admoti erant, sacrificandi potestas concessa fuit, successu vero temporis, idololatriæ facilius cohibendæ gratiâ, ad Aaronem ejusq; filios munus sacerdotale devolutum est; ita firmum hoc esse argumentum, ad DIGNITATEM SACERDOTUM probandam, asserere licet.

## II.

**U**ni namque familiæ hoc munus quod DEO placuerit committere, id illæta veritate tuto dici potest, quandoquidem sege cautum fuit, ne quis Altari manum admoveret, nisi genus ab Aarone duceret. Omnes vero alios veluti profanos ab Altari arcebat lex & religio Judæorum; idque in eum finem, ut populus ille in gentium ritus Deosque propensus, ad DEI veri cognitionem perduceretur, atq; a sacrificiis privatis, moribusq; idololatricis avocaretur, quod vel ex Ezech. cap. 20. 26. patet. III

### III.

**A**tque hoc multum adjecit ad confirmandam dignitatem sacerdotum: claritas enim natalium, utpote sanguis ab Aarone haustus, qui DEI **רוח** Deut: 33. 8. audit, & tribu illa, quæ præ ceteris olim eximie pietatis laude floruit, haud parum ad hanc rem confert. Eviluisse sane sacrum dixeris ordinem, si DEUS ex infima plebe, postremos sacerdotali muneri obeundo præfecisset.

### IV.

**S**icut ad augendam Majestatis divinæ reverentiam sancitum est, ne quis maximum illud Numinis arcanum, Sanctum Sanctorum, excepto Pontifice Maximo uno, ingrederetur, illi enim soli festo expiationis locum illum sacratissimum ad-eundi copia facta est; ita quin & aliis munere sacerdotali fungentibus aliquid præstantiæ hinc accesserit, quandoquidem Pontifex ille sacerdotium una cum aliis gessit, & eadem ortus erat tribu, nullum est dubium.

### V.

**Q**uamvis Mosaicum percentsenti Codicem multæ occurrant)leges, quæ ad Sacerdotii dignitatem servandam a DEO ferebantur; Eas tamen omnes, cum brevitati sit litandum, hac vice non profer-



ferre possum, Quasdam tamen illarum, licet breviter, adducam. Primum inter eas habebit locum lex, quâ cautum est, ne ulli fracti, gibbosi, mutili, vel aliqua alia corporis labe notati, ad Altare ministrarent. Hæc pluribus exprimitur verbis Lev. 21 v. 16. ibi namque variis corporis vitiis enumeratis, ob quæ aliquis, è Sacerdotali licet prognatus sanguine, ad sacrum munus minus idoneus habebatur, statim hæc subjunguntur v. 23. *אִךְ אֱלֹהֵי הַפְּרִכֵּת לֹא יִבְרָא וְאֱלֹהֵי הַמְּכֹכִים לֹא יִבְרָא כִּי־מִום בּוֹ וְלֹא יִחַלֵּל אֶת מִקְדָּשֵׁי כִּי־מִום בּוֹ וְלֹא יִחַלֵּל אֶת מִקְדָּשֵׁי כִּי־מִום בּוֹ*  
*omnis vir in quo est macula, velum non ingrediatur, & ad Altare non accedet, ne polluat sanctuarium meum: quia ego Dominus qui sanctifico eos.*

## V I.

**L**ex deinde illa peculiaris quæ de Sacerdotum luctu funebri lata est, itidem ad probandum valet, quod & sic sacris & sacrorum ministris dignitas & præstantia adderetur. Ex citato eodem cap. Lev. 21. etiam hæc res clare patet, disertis enim ibi est præceptum verbis, ne sacerdos funeri cujusvis, nisi sanguine conjunctissimi adesset, sed delectum & discrimen haberet, mores quosvis vulgares & sacro eorum ministerio indignos, nentiquam servando. Et quamvis fatendum sit, DEUM non Sacerdotum tantum sed & sacrorum honori lege hac cavisse; negari tamen nequit, quin hinc, quod volumus, argumentum petere liceat.

Da-

## VII.

**D**icto loco quæ de Sacerdotum Matrimonio data est lex, ad consulendum eorum honori & dignitati, & illa collata est. Id enim intenditur, ut qui Sacerdotioungebatur, fœminam pudicitia suspectæ sibi uxorem ducendo, è tali Conjugio sibi & sacris quibus operam dabat, quid labis & dedecoris ne afferret, Scilicet non nisi virginem Matrimonio *sibi* jungere concessum erat, ut sic personæ ad sacra munia solenniter separatæ, sanguis, à cujus vis polluti sanguinis admistione, purus conservaretur.

## VIII.

**V**estes quoque Sacræ ornatu peculiari insignes, ut essent Sacerdotibus, divina in eundem finem, præfinitum erat lege; populus enim apparatu splendido, ad exhibendam reverentiam ordini Sacerdotali facillè inductus fuit. Ipsa hac de re lex Exod. 28 describitur.

## IX.

**Q**uid? Quod lex de primitiis & decimis, quibus Sacerdotes sustentabantur, data est, ut eâ ratione Sacerdotum honori, simul cum vitâ, prospectum esset. Equidem id honori illis cessit, quod observante Philone, participes facti fuerint eorum, quæ DEO offerebantur à gratis hominibus



bus. Curque omnis occasio exprobrandi primicias solventibus eo ipso sublata sit, quod iussu fuerint, ceu idem notat Philo, illi primum in Templum sua deferre munera, atque inde demum Sacerdotes ea desumere: inficias nemo ibit, quin & hoc aliquod pondus addat, probandæ dignitati Sacerdotali.

## X.

**I**n Novo quoque Testamento ex Pauli ad Philippenses Epistola c. 2. v. 29. ut & 1. Tim. 5. v. 17. constat, eos Sacerdotes, qui ritè suo funguntur munere, duplici esse dignos honore.

**DEUS** vero ex gratia sua immensa indulgeat, ut dignè quivis, sacris initiatus ordinibus non tua sed quæ Domini sunt curet!

